

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Constitvtiones

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

po prius examinati approbentur, aut aliam idonei ab eo iudicentur, secutâ approbatione, iam eis Iurisdictionis potestas conceditur. Vnde sequitur, quod Episcopus, si prævio examine Regularem idoneum inuenerit, illum simpliciter absque vlla temporis, loci, seu personarum limitatione, indistinctè approbare & admittere debeat atque teneatur. Lud. Cellot. *de Hierarch. l. 5. c. 24. apud Dian. p. 6. rr. 7. Res. 61.* Nam Episcopus, vt dictum, non dat illi auctoritatem, sed tantum eum examinat de idoneitate, & si idoneum iudicat, Iurisdictionem illi dat S. Pontifex ipso iure. Secus est, si non aded idoneus reperiatur, tunc enim Ordinarij arbitrio cum limitata facultate admitti potest, vt à S. Cong. Regul. die 2. Iul. 1587. declaratum fuisse testatur Confess. *in summ. Priu. tit. 17. c. 4.* Quomodd Prælati Regulares suorum subditorum facultates limitare &c. valeant, dictum est *V. Absolutio quoad secul. n. 32.* Quanta etiam sit eorum potestas, ex instituto pertractatum est *V. Absolutio. Et V. Casus reseru.*

CONSTITVTIONES.

107. *Constitutiones, Regula, & præcepta quæ differant.*
108. *Constitutiones per se non obligant ad peccatum.*

Ex

Ex parte operantis peccari potest contra
Constitutiones ex triplici capite.

Contemptus Constitutionum quomodo
peccaminosus?

Transgressio Constitutionum quàm peri-
culosa.

109. In Statutis continentur multa, quæ vim
obligandi habent, ex jure alio, natu-
rali, diuino & humano.

110. Decreta Clem. 8 pro Regularibus: Item
Regula Declarationes per Nicol. 3. &
Clem. 5. quantum obligent?

111. Constitutiones Episcopales num ligent
Regulares?

112. Num Saculares existentes in Monasteriis
exemptis teneantur ad leges sua Dice-
cesis?

113. Origo Ieiunij in diebus Rogationum.

114. Ad illud Regulares, cessante scandalo, non
renentur.

115. Vsum Ecclesiæ, in qua quis, etiam transe-
unter, degit, sequi laudabile est.

116. Etiam quoad Calendarium antiquum,
absolutè loquendo.

107. **D**ifferunt Constitutiones, & Regu-
la; quia Regula, vt plurimum, est
ab aliquo antiquo Patriarcha constituta, à
SS. Pontificibus approbata, & in Religione
perpetua. Constitutiones verò non ita, sed à
Præla- CVII.

*Differen-
tia inter
Constitu-
tiones, Re-
gulam &
præcepta.*

Prelatis aut Capitulis Religionum ordinatae sunt, & multae sine Pontificia auctoritate aut approbatione, & pro temporum varietate mutari possunt, & de facto saepius mutantur. Soar. 10. 4. de Relig. l. 1. c. 1. n. 6. A precepto seu mandato & ordinationibus differunt, quia preceptum & ordinationes Praelati expirant expirante ipso à suo officio: statuta vero seu constitutiones quousque reuocentur, seruari debent, atque hoc etiam respectu perpetuitatem aliquam habere dicuntur. P. Polit. inc. 10. Reg. n. 77.

CVIII.

Constitutiones nū obligēt ad peccatū?

108. Nostrae Constitutiones, vt in ipsidem expressum habetur circa finem, ad culpam ex se neminem obligant, adeoque transgressiones earum siue commissionis sunt, siue omissionis, extra omne genus peccati statuuntur. Attamen ex parte operantis, potest talis actus, qui alioqui lege seu statuto peccatum non est, fieri peccatum ex triplici capite. 1. Si operans vel omittens, contra statutum faciat ex cupiditate seu libidine aut nimia affectione. 2. Si ex negligentia, vel extrinseca, puta, cum quis ex incuria & mentis torpore & pigritia omittit ire ad orationem horam debitam; vel intrinseca, puta, cum ex affectus tepiditate omittit ire ad orationem, ad quam vellet ire.

Contemptus Constitutionum quāta sit culpa?

3. Si faciat ex contemptu formali, cuiusmodi

modi est, quando subditus statutum, vel aliud quodcunque mandatū Superioris transgreditur, non ex ira aut volupate, sed quia ex intentione non vult obedire præcepto, & subijci Superiori. Qui sic transgreditur, siue id quod præcipitur sit præceptum strictè sumptum, siue largè, seu mandatū siue consilium tantum sit, aut Christi aut Prælatorum, mortaliter peccat secundum DD. communiter. Vnde verbū otiosum dicere, aut iocosum mendaciū, & huiusmodi ex contemptū, mortale peccatum est. Si contemptus est materialis tantum, puta, non ex deliberatione, sed ex subreptione, vel quia contemnit facere hoc, quod Prælati mandavit, eâ ratione, quia minimum est, putans in minimo nolle eum Superiorem strictè arctare, non erit contemptus formalis saltem perfectus, quia nō facit contra mandatū, vt faciat contra id absolute, sed cum hac additione, in minimo, ided venialiter tantum peccabit, quoniam affectus eius detinetur illo minimo; tanquam non verè contemnat, sicut in furto rei alicuius minimæ sustentatur affectus, illo minimi intuitu, ac si non furetur. Quare & peccatum aliquando veniale, puta, verbum otiosum, & id genus alia committere ex contemptu, infra limites tamen venialis permanendo, hoc

*Transgressio
Constitutionum
quàm pe-
niculo/a.*

hoc est, quod non simpliciter reuatur vel-
subijci Dei imperio sub veniali culpa pro-
hibentis, sed cum hac consideratione, quia
veniale est & veniã dignum, non nisi veni-
nialis erit contemptus. P. Polit. in c. 10. Reg.
n. 59. vsque ad n. 74. Esto autem absque
omni peccato Constitutionum transgressio,
per se loquendo, cõtingat; ne propterea legi-
nũs obseruentur, serid ac meritõ, sub finẽ
illarum, admonentur cuncti fratres, sum-
mopere præcaueant eas transgredi, sed agnosce-
ntes cuius spiritus sint; Religionis leges & statu-
ta sibi inuoluntate custodienda & obseruanda pro-
ponant & statuunt, vt gratia ipsorum capiti ad-
datur, & diuinam per huiusmodi obsequia pro-
mereantur Clementiam, atque Dei filio confor-
mes fiant, qui legibus à se latis nequaquam de-
uinctus, se se pro omnium salute obnoxium esse
voluit. Sublimem igitur Religionis statum con-
seruent, suisque proximis multorum bonorum
causa existant. scientes bonis & fidelibus seruis,
non ea solùm, quæ illis ab Heris & Dominis mi-
naciter præcipiuntur, adimplenda esse, sed alia
quoque multa, quæ illis placere nouerint, sua
sponte & voluntate facienda. Tantõ verõ ma-
gis quod Veterator omnium malorum diabolus,
vt loquitur S. Chrysostom. hom. 87. in c.
27. Mat. magnã malitiã, multã operã, ingen-
si studio, condescensioneque nonnullã, perditio-
nem

mem hominum à minimis plerumque incipiat.
 Quod Sanctus ille exemplo Saulis, & alio-
 um insigniter demonstrat: Similiter etiam
 de Cain, inquit, factum esse videmus. Non
 nim confestum cadem fratris illi suggestit, ne
 magnitudine rei commotus tam scelestum faci-
 tus abominaretur: sed prius persuasit deterio-
 ra offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde
 inuidia Veneno succendit, nihil etiam hinc malis
 secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illa
 impulsit, nec prius cessauit quam malorum om-
 nium verticem imposuit. Repellenda igitur
 malorum initia sunt. Nam etiamsi ad maiora
 prima non progredierentur peccata, non esset ta-
 men negligendum: nunc verò per istam incuri-
 am gradatim semper ascendunt, quapropter om-
 ni studio atque operâ funditus principia pecca-
 torum sunt euertenda. Non enim naturam de-
 liciti solam consideres, nec quia paruum sit, cogi-
 tes: sed illud præcipue tene, quia si radicem non
 evulseris, magnum inde peccatum succrescet.
 Mirabile quiddam atque inauditum dicere au-
 deo. Solet mihi nonnunquam, non tanto studio
 magna videri peccata esse euitanda quanto par-
 ua & vilia. Illa enim vt aversemur, ipsa pec-
 cati natura efficit: hac autem hac ipsâ re, quia
 parua sunt, desides reddunt: & dum contem-
 nuntur, non potest ad expulsionem eorum ani-

M

mus

mus generose insurgere, Vnde citò ex paruis maximè sunt negligentia nostrà. Hucusque S. Doctor, in hanc rem plura differens, in ps. 6. hom. 8. in 1. Cor. hom. 19. ad Antioch. & hom. 60 super Gene. Itemque S. Hieron. Epist. 14. ad Celant. S. Aug. serm. 240. de temp. l. de 10. chord. c. 11. Epist. 10. & alibi. Item Alu. de Paz. r. 2. p. 4. l. 3. c. 9. Nominatim pro nostris Constat. vide Annal. Ord. ad An. 1529. n. 12. & seqq.

CIX.

Obligant
multa in
statutis
ratione
alterius
iuris.

109. Cùm in dictis nostris Constitutionibus non pauca sint de rebus aliàs præceptis Iure naturali, diuino, aut positiuo; transgressio illarum est qualis fuerit transgressio talium præceptorum, quod innuunt eadem l. c. cùm aiunt, Intentionem suam non esse fratres obligare, nisi quantum præcepta Dei, Ecclesiæ vel ipsius Regulæ ipsis passim insertæ obligant. De his, quatenus nos singulariter attingunt, pro oportunitate suis dicetur locis,

CX.

Decreta
Clem. 8.
pro Regu-
lar. &
Regula
Declara-
tiones Ni-
col. 3. &
Clem. 5.
quantum
obligent?

110. Inter alias Ordinum Constitutiones, ad Regularem vitam plurimum conducunt Decreta Clem. 8. *Ero Reform. Regul.* innouata à S. Congreg. iussu Urbani 8. quæ quidem decreta non inducunt aliam obligationem ad sui obseruantiam, quàm Constitutiones Religionum. *Lezan. 10. 1. qq. Regul. c. 8. n. 26.* Et eum secutus Bellafius. in

Prompt.

Prompt. Regul. V. Constitutio. n. 11. Idipsum
 asserit *P. Politius in c. 10. Reg. n. 77.* de Con-
 stitutionibus, *Nicol. 3. Exiit qui seminat.* Et
Clem. 5. Exiit de Paradiso. Earum trans-
 gressiones non esse nobis culpabiles ex vi
 ipsarum declarationum seu statutorum, ni-
 si talis transgressio aliàs esset contra præce-
 pta Dei, Ecclesiæ, Regulæ, vel Prælatorum
 Ordinis, & nullâ ratione esset excusabilis,
 vel nisi ex parte ipsius operantis redderetur
 culpabilis, seu ex contemptu, vel cupidita-
 te, vel negligentia, vt supra dictum est. De
 alijs Constitutionibus Apostolicis, & S.
 Congregationis Decretis, quorum sæpè
 etiam in statutis nostris fit mentio, quædam
 generaliter dicta sunt *V. Absolutio quoad Sa-
 cul. n. 42. V. Benedicere. n. 59. & V. Casus re-
 servatus. n. 70. & 71.* specialius secundùm
 occurrenceam dicetur locis alijs.

III. Constitutiones Synodales, quæ con-
 cernunt actiones communes, ac deuotio-
 nem Populi totius, & statui Regulari non
 derogant, vt sunt quædam Ieiunia, festa, &
 huiusmodi, ligare quoque Religiosos, non
 quidem debito obedientiæ, sed iure natu-
 rali, quatenus, cum sint partes & membra
 illius Populi, tenentur toti corpori se con-
 formare, tenet Bellaf. *vbi supra n. 13. post.*
Vasq. 1. 2. disp. 167. n. 33. & Sauch. l. 4. in De-

M 2

cale

CXL
 Constitu-
 tiones Syn-
 odales
 num obli-
 gent Re-
 gulares?

Gal. 6. 15. n. 21. Item Peyrin. De Pralato Regul.
 q. 1. c. 8. n. 22. qui ob eandem rationem in
 Schol. ad Constit. 2. Iul. 2. n. 151. docet Regula-
 res etiam civilibus legibus, in communem
 utilitatem Reipub. indictis, subijci, & eas
 seruare teneri, quando contra Canones &
 regularem disciplinam non sunt. Si tamen
 dictas leges transgrediantur, non tenean-
 tur ad pœnas contrafacientibus impositas,
 sed debeant puniri à proprio iudice, qui ar-
 bitrariâ pœnâ, habendo considerationem
 ad pœnas à iudice sæculari impositas, trans-
 gressores puniat. Sed verius est, Regulares
 exemptos non teneri obseruare leges Syno-
 dales Episcoporum, nisi tantùm ex decen-
 tia, & ratione scandali vitandi, ac proindè
 si scandalum cesset, nunquam peccare illas
 non obseruando. Ratio est, quia Regula-
 res non solum à potestate Principis sæcula-
 ris, sed etiam Episcoporum sunt exempti,
 & consequenter ab omnibus ordinationi-
 bus Synodalibus & Prouincialibus; ac pro-
 indè leges Episcoporum, & ieiunia ab illis
 imposita non ligant Religiosos, secluse
 scandalo; nisi quoad festorum obseruatio-
 nes, interdicta, & alias censuras. Ita P. Ca-
 spens. de legib. d. 4. s. 2. Soar. de leg. l. 4. c. 20.
 Pontig. de Matr. l. 5. c. 7. & teste Bass. alij
 plures. Et hanc esse communem DD. sen-
 tentiam

entiam docet P. Chaff. *de Priuil. Reg. rr. 2. c. 3. prop. 5. in c. 1. de Confit. in V. lex. ex. c. 1. de Priu. in 6. & c. Nimis praua. de Exces. Prælat. in quo inter alia, quæ prohibentur Episcopo, ponitur, quod suis Constitutionibus subijcere cogunt Religiosos, specialiter nominando FF. Prædicatores & Minores. Sic & Iul. 2. in Bulla: *Virtute conspicuos 1506. 5. Cal. Aug.* inhihet Ecclesiarum Prælaris compellere fratres Ord. Minim. suis Constitutionibus subiacere, &c. Dixi autem; nisi quoad festorum observationes, &c. Ita enim jure communi cautum est. præsertim Trid. sess. 25. de Regul. c. 12. vbi: *Censura, dicitur, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus seruentur.* Ita Conc. Hoc tamen Decreto, quia non habeat clausulam derogatoriam priuilegiorum, non ligari Regulares habentes priuilegia contraria, docet Chafs. vbi supra. prop. 7. præsertim post ipsum Trid. denuò confirmata, quale ex Mari Magno Min. & Prædicat. refert *ibid.* vt nullus Archiepiscopus vel Episcopus, nullusq; alius Prælatu Ecclesiasticus, vel eorum Vicarij*

vel Officiales, ad portandum seu deferendum litteras, vel exequendum, vel denunciandum sententias cōtra Principes sæculares, communitates, populos, seu quoscunque benefactores eorum, quemquam illorum compellere valeat sine prædictæ Sedis mandato, vel licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem. Idem de Priuilegio FF. Mendicantium, quo in festis suorum Ordinum & eorum octauis suspendere possunt interdita, dicit Miranda *in Man. Pral. 10. 2. q. 37. 4. 12.* Quantum ad festa, ait Barbos. *in illū locum Trid. n. 4.* decisum esse, dictum Decretum sic intelligendum esse, vt Regularium ritus illis festis semper permaneant quoad Missas celebrandas, & cætera diuina officia, tam publicè quàm priuatim, ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda, nec eircà hæc ab Episcopis quoquo modo quicumque in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse, quod si de facto præceperint, Regulares neutiquàm ipsis Episcopis obedire teneri; Verum quoad Conciones & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Evangelio & Epistolis, quibus Clerus sæcularis utitur illis diebus festis.

112. Sed maius dubium occurrit, an Sæculares intra Monasteria Regularium exemptorum existentes, teneantur ad leges suæ Diœcesis? Affirmant Soar. Conin. Salas, & alij multi teste P. Bassæo V. Lex. 3. n. 4. qui tamen oppositum satis esse probabile in ox subjungit, atque ita præter ibi citatos docet Fagund. in Decal. Prac. 1. l. 1. c. 7. Negans Diœcesanum teneri servare festa & Ieiunia à suo Episcopo sub præcepto indicta, licet sit intrâ suæ Diœcesis limites, dummodo sit in loco exempto. Henriq. in sum. l. 13. c. 26. § 1. Et Auila de Censur. p. 2. c. 3. dub. 5. Similiter volunt non ligari excommunicatione sui Episcopi pro tota Diœcesi latâ, si commoretur in loco exempto intra eandem Diœcesin. Horum ratio est, quia extra territorium ius dicenti, non paretur impunè, c. Vt animarum. de Constitut. in 6. quia Iurisdictio non extenditur ad alienum territorium, & proindè non potest obligare subditum existentem in alieno territorio. Locus autem exemptus comparatur alieno territorio, nam eximitur à Iurisdictione Ordinarij, ita vt non possit in ipso aliquid Iurisdictionis exercere. c. Cùm Episcopus. De offic. ordin. in 6. Aliter se res habet cum Prælati Ordinum, quibus Iurisdictio in suos competit, non Ratione territorij, sed per

CXII.
Sæculares
in loco
exempto.
an teneantur ad
leges Diœcesis?

se, ratione personalis obligationis ex obedientia voto, eos, tum præceptis ac sententijs, tum statutis, vbicunque terrarum existentes obligare possunt: quin etiam eosdem in alieno territorio citare, excommunicare, fugitivos propriâ auctoritate capere. In Laym. de legib. tr. 4. c. 11. n. 2. cum Syluest. v. Excommunicatio. 2. n. 15. qui rationem huius affert, quòd totus mundus sit eis (Prælati) pro territorio.

¶ CXIII.

Origo Ieiunij in diebus Rogationis.

113 Discamus iam ex antedictis quid nobis dicendum ac faciendum sit. 1. In locis, vbi Ieiunium est in diebus Rogationum. 2. In quibus adhuc seruatur Calendarium antiquum. Vulgi persuasio est, Ieiunium in diebus Rogationum, assumptum esse in vicem illorum dierum quibus alicubi etiamnum in die Cinerum, ferriâs, & subsequente Dominicâ 1. Quadragesimæ, carnibus vesci solent. Ex quo, si verum esset, sequeretur 1. Ieiunium Rogationum esse de necessitate præcepti seruandum, quandoquidem alterum sub initium Quadragesimæ sit obligat, secundum illud juris; Quod subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, l. si eum. §. qui iniuriarum. ff. si quis cau. 2. Qui alterum seruat, iam satisfecisse præcepto, ita vt qui cum incolis loci ieiunat in diebus

Roga-

Rogationum, ad alterum non teneatur.
 Veritas est, inter hæc duo ieiunia nullam
 esse connexionem vel respectum, sed quod
 ieiuniorum peculiarem habuisse institutio-
 nem & proprium finem: A quo, & quam
 ob causam Ieiunium cum litanijis sumple-
 rit exordium, narrant Azor. *10. 1. l. 7. c. 15.*
4. Et ex Baronio in Notis Martyrol. 25. A-
pril. & 11. Maij. Gauant, in Comm. Rubr. Mis-
sal. p. 4. tit. 11. n. 11. Istud Ieiunium, quam-
uis S. Cæsarius, à Baronio ad 25. April. rela-
tus, regulariter in toto mundo ab Ecclesia
celebratum referat; Itemque Conc. Au-
relian. c. Rogationes. De Consecr. dist. 3. statue-
rit, ut eo triduo omnes abstineant, & cibis
quadragesimalibus utantur. Azor. tamen
l. c. & alij plures, quos refert & sequitur P.
Bassæ. V. Ieiunium. 2. n. 3. negant vllum ex-
tare præceptum ad illud seruandum, saltem
si ius commune, siue scriptum, siue in con-
suetudine generali fundatum attendamus,
vnde illicitum non esse illis tribus diebus,
plures refectioes sumere, &c. Et licet ali-
cubi præceptum aliquod extet Synodale,
vel consuetudo, non semper esse obligato-
ria, sed sæpè solùm directiua. tanquam ex
consilio dictante, quid fieri expediat. Quo-
modocunq; verò se res circà ieiunium istud
habeat, indubitatum videtur, quòd in ali-

M s

quibus

quibus adhuc locis Septimana Quinquagesimæ sit extra ieiunium, non aliundè esse quam quia secundùm primã Apostolorum institutionem, primùm incæperit à Dominica 1. Quadragesimæ, à qua vsque ad festam s. magnæ hebdomadæ, in qua proprie Cænam Dominicã omnes ad Cænam Dominicam accedebant, & quadragenarium ieiunium terminabant, numerantur 40. dies, quot scilicet Moysen, Eliam & Christum Dominum ieiunasse SS. Scriptura narrant. Vnam postea hebdomadem Telesphor. P. de quo c. Statuimus. Et c. Denique. dist. 4. superaddidit, sed Clericis duntaxat, qui vt loquitur, ita & Religione ac pietate ceteros præcederent. Hoc ipsum tamen etiam consilium potius fuisse, quam Præceptum, ex communi sententia testatur P. Politius in c. 3. Reg. n. 60. Nunc extra dubium est, cum in desuetudinem prorsus abierit, etsi decens maximè esset id facere. In communitate verò, ait P. Polit. necessarium fortè est, ob rationabilem consuetudinè, qua vim legis videretur habere. Quis à Die Cinerum Quadragesimæ principium fecerit, & varias in hoc Ecclesiarum obseruantias, videre est apud Azor. cit. l. 7. c. 12. His ita præsuppositis.

CXIV.

Num ob-
liget Re-
gulares?

114. Dico primò; secluso scandalo, nos ad ieiunium in diebus Rogationum, v-

Illud in usu est, nullo præcepto adstringi,
 contra Portel. *V. festi Dies. in add. n. 4.*
 quos ibidem sequitur, Rodriq. & Sanch:
 entes: *Religiosos teneri ad ieiunium illorum*
pidorum, in quibus viuunt, que populus ille
inat ob consuetudinem, vel commune votum
o aliqua necessitate, nec non ad dies festos, &c.
m sint membra talis populi, eiusque bona par-
ipent. Nostrum assertum constat ex di-
 is, quia hæc omnia non obligant nisi sub-
 tos, & qui sunt de communitate, pro qua
 ncia sunt, aut per votum seu consuetudi-
 em acceptata, Religiosi autem non sunt
 incorporati tali communitati. *Vid Bass. V.*
ex. 3. n. 60. Et V. Ieiunium. 2. n. 9. Secus ef-
 et, si Ieiunium seu præceptum aliquod ef-
 et vniuersale, jure scilicet communi, aut
 cripto, aut in consuetudine generali vim
 gis habente fundatum, cunctos Christia-
 nos obligans, quorum nihil adesse supra di-
 tum est. Dixi autem, *cessante scandalo*; hoc
 nim si adsit, sicuti vix abesse potest, præ-
 ertim apud pusillos, præstat sequi illud A-
 postoli 1. Cor. 8. *Si Escâ scandalizat fratrem*
neum, non manducabo carnem in æternum, ne
fratrem meum scandalizem; Licet fortè nec
 ipsi Sæculares de necessitate alicuius præ-
 cepti, aut consuetudinis vim legis haben-
 tis, ad Ieiunium, seu festos dies teneantur,
 115. Di

CXV. 115. Dico 2. Tamenſi laudem potius
morem Ec- mereantur Religioſi, quàm vituperium,
cleſiã ſe- obſeruent Calendarium nouum Grego-
qui lau- num in locis, vbi vetus adhuc in vſu
dabile eſt. manet; tum quia decet hos potiùs obedire
 ſimpliciter Mandatis Eccleſiæ, ita præſer-
 tim communiter obſeruantis, quàm ſequi
 vulgi morem contrarium ex reſpectu po-
 tiſſimum hæreticorum, quibuſcum con-
 uerſamur, pertinaciter retentum, tum quia
 tanto efficaciùs Chriſti plebem ad huius v-
 niuerſalis Eccleſiæ ritùs obſeruantiã, &
 erga eandem Reuerentiã, obedienciã-
 quẽ inducunt, aut ſaltem ſenſim diſponunt,
 ſi ſuo exemplo, cuius maxima Viſ eſt, cate-
 riſ viam Religioſi demonſtrent. Abſolute
 tamen loquendo, laudabiliùs eſt Eccleſiæ
 cuiuſque morem vniſormiter cum cæteris
 fidelibus, etiam à Religioſis obſeruari, atq;
 vt Scriptura dicit. *pl. 67. Inhabitare (om-*
nes) vniùs moris in Domo Domini. Quod in-
 primis auctoritate S. Ambroſij, & ratione,
 perſuadet Magnus Eccleſiæ D. Auguſtinus
Ep. 86. ad Caſulan. ita ſcribens: *Quoniam*
non inuenimus in Euangelicis & Apoſtolicis li-
teris, quæ ad noui Teſtamenti reuelationem pro-
priè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter
præceptum obſeruanda eſſe ieiunia, & idẽd res
quoque iſta, ſicut aliæ plurimæ, quas enume-

re difficile est, inuenit in veste illius filia regis,
 est, Ecclesie, varietatis locum, indicabo ti-
 quid mihi de hoc requirenti responderit Ve-
 randus Ambrosius, à quo baptizatus sum,
 mediolanensis Episcopus. Nam cum in eadem
 uitate Mater mea mecum esset, & nobis ad-
 catechumenis parum ista curantibus, illa
 icitudinem gereret, utrum secundum morem
 stræ Ciuitatis sibi esset Sabbatho ieiunandum,
 Ecclesia Mediolanensis more prandendum, Vt
 eam conuentione liberarem, interrogauit ho-
 pradictum hominem Dei. At ille; Quid pos-
 um, inquit, hinc docere amplius quam ipse fa-
 o? Vbi ego putaueram, nihil eum ista respon-
 one præcepisse, nisi ut Sabbatho pranderemus.
 Ioc quippe ipsum facere sciebam: sed ille sequen-
 us adiecit. Quando hic sum, non ieiuno Sabba-
 ho: quando Romæ sum, ieiuno Sabbatho: Et ad
 quamcunque Ecclesiam veneritis, inquit, eius
 morem seruate, si pati scandalum non vultis,
 aut facere. Sic ille, vulgari iam Proverbio
 præbens originem, quod Gl. refert in 6. Illa.
 dist. 12.

Si fueris Romæ, Romano viuito more;

Si fueris alibi, viuito sicut ibi.

Et Gl. V. debent. in l. 3. ff. de muneribus & ho-
 norib.

*Terra ad quam pergis, cape mores, quos ibi
 cernis.*

Idipsum

Idipsum Sanctus ille repetit in *Epist. tit. Januarii*. quod exinde transumptum legitur in Decreto Gratian. *cir. c. Illa*. ubi, sicut in priori, volens dictum illud valere, non solum in causa Ieiunij, verum etiam alijs quibuscunque in sacris litteris evidenter non preceptis, addidit; *Res ista, sicut alia plurima*. Ita generaliter pronunciat. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores inungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate seruandum est*. Verum est quod his locis sermo sit potissimum de Personis particularibus, vt sequantur morem Ecclesie, ad quam forte deuenerint, sed eadem ratio peræque, imò magis militat in communitate aliqua Religiosa, quæ suâ singularitate multò magis communem Ecclesie obseruantiam, & cultum Dei turbat, atque deuotionem immittit, dum Pars vna Paschali solennitate letatur, altera tristi pœnitentiâ morret, quam si quis priuatim agat.

CXVI.
*Vetus Calendarij
 Veteris.*

116. Posito nunc casu, quod fratres nostri V. G. Willerstadij, cum incolis ad vsum veteris Calendarij viuant, nunquid licebit illis, si fortè Rotenburgum venerint, vbi Pascha iam celebratur, ipsi autem vix mediâ partem Quadragesimæ peregerint, vesci carnis? Quæstionem hanc vtrinq;
 dispu-

sputat Lessius l. 4. c. 2. dub. 8. n. 59. ac
 idem concludit, in praxi præferendam
 se sententiam, quæ ait, saltem Quadrage-
 male ieiunium complendum esse in loco
 ubi propter diuersitatem Calendarij iam ex-
 actum est. Alteram tamen sententiam,
 quam docet Sanch. l. 1. Mor. c. 12. n. 30. non
 minus probabilè ac tutam asserit Layman;
 legib. tr. 4. c. 11. n. 8. quòd mens Ecclesiæ
 non videatur esse, aliquem obligare ad ieiu-
 andum in loco, ubi fideles alij non ieiua-
 ant, siquidem id commodè fieri non po-
 test, & vt supra dixi, expedit Ecclesiæ mo-
 rem vniformiter ab omnibus obseruari. Sic
 ubi utrinque rationabiliter, si solo quis Ec-
 lesiæ præcepto ad Quadragesimæ ieiuni-
 um adstringatur; sed maior circa nos FF.
 Minores difficultas est, qui ad idem ex Re-
 gula tenemur, ex communi SS. Patrum &
 Ordinis Doctorem sententiâ. teste P. Polit.
 n. c. 3. Reg. n. 49. quare Personas ipsas
 multò magis afficit, quàm præceptum Ec-
 clesiasticum illius ieiunij, quæ sicuti Qua-
 dragesimam alteram à festo omnium SS.
 vsque ad Natiuitatem Domini ieiunare te-
 nentur, etiam in locis quibuscunque, ita &
 alteram communem, ob votum peculiare
 ipsius Regulæ, etiam illi, qui aliàs, quòd
statem vnus & viginti annorum non atti-
 gerint,

gerint, ex præcepto Ecclesiæ non obligentur: Quo tamen non obstante, existimo, si quis fratrum Willerstadio, dato quod conuentus ille secundum antiquum Calendarium alia haberet festa & ieiunia, Rottenburgum transiret, posse absque scrupulo, sequi morem ac ritum Conuentus Rottenburgensis, ac vicissim, si quis, Rottenburgum Willerstadium sese conferret, præsertim si non per modum transeuntis id fieret, verum ut alteri familiæ incorporatus deinceps degeret; propter ea quæ paulò ante ex D. Augustino recitauimus. Eodem modo, quo Laym. *vbi supra*, docet Peregrinos, dum Viennæ aut Colmarie versantur, vbi Ciues Catholici ex quadam æquitate & præsumpto consensu Catholicorum Præsulum, ad communem pacem seruandam, festa & ieiunia celebrant secundum Calendarium vetus, posse conformiter iisdem viuere, licet hoc nequeant in terris, vbi nulli sunt Catholici, sed teneantur ad ieiunia & festa secundum Calendarium novum, atque suæ Diocesis. Ita & nos per mundum euntes, non solum Regulam, sed & ritus festorum ac Ieiuniorum &c. obseruare debemus, non ut Sæculares, qui ab his omnino liberi sunt, sed prout in Regula nobis peculiari-
ter, aut constitutionibus præscribuntur; vbi

ubi tamen ad Conuentus Ordinis nostri peruenimus, eisdem nos conformare possumus, quamuis ratione Conuentus proprii, aliud forè Regionis aut loci status requireret. Qualiter tamen Ecclesiæ Diœcesana nos conformari oporteat in publico festorum Conuenticu, dictum est supra n. 111. De priuato precum canonicarum, dicitur V. *Officium conuentuum*. De Dispensatione Constitutionum Ordinis vide V. *Dispensare*.

CUSTOS.

117. *Custodis Officium ex Regulâ Minoritanâ duplex.*
 118. *Declaratur Officium primum.*
 119. *Declaratur Officium alterum.*
 120. *Custodes à quo instituantur, & in quem finem?*
 121. *Custodum in animarum curâ potestas.*

117. **N**omen Custodis, à pastorali vigilancia ductum, in Ordine nostro FF Minorum, modum Officij Prælatorum denotat ad duo potissimum præstanda vi Regulæ. 1. Per amicos spirituales pro infirmorum necessitatibus, & alijs fratribus induendis sollicitam curam gerere, vt in c. 4. Reg. Deinde conuenire in Capitulo Generali cum Ministris pro electione faciendâ

N

Gene.

CXVII.
*Custodis
 Officium
 duplex.*